

No. 55. 1163. 31. Jan.

*Erzbischof Wichmann von Magdeburg überlässt der Stiftskirche den gesammten Zehnten im Bezirk Pretin gegen diesen im Bezirk Löbnitz.*

In nomine sanctae et individuae trinitatis. Wichmannus divina favente clementia sanctae Magdeburgensis ecclesiae archiepiscopus. Officii nostri debitum expostulat, nos non solum ecclesiasticis et spiritualibus negotiis intendere, verum etiam secularibus et corporalibus commodis et opportunitatibus omnium deo servientium in omnibus et per omnia pro posse nostro diligenter prospicere. Eapropter noverit Christi fidelium tam praesentium universitas quam futurorum posteritas, qualiter nos voluntate et assensu ecclesiae nostrae omnem decimationem in pago, qui Lubaniz<sup>a)</sup> dicitur et infra terminos nostros situs ecclesiae Misinensis esse dinoscitur, quam vel Sclavi ex statuto vel aliud quodlibet genus hominum ex integro persolvunt, ecclesiae Misinensi permisimus, et volente et assensum praebente venerabili fratre nostro domino Gerungo, Misinensi episcopo et ipsius ecclesia omnem decimationem in pago nostro Pretin<sup>b)</sup>, in termino Misinensis ecclesiae sito, sive Sclavorum seu quorumlibet hominum vel statutam vel integram recepimus. Quia itaque uterque pagus vel Pretin scilicet Magdeburgensis ecclesiae, vel Lubaniz Misinensis absque decima minus utilitatibus nostris commodus videbatur, decimarum utrimque concambium fecimus, et in omnia retro futura tempora, quae facta sunt, firma manere statuimus, et ne in posterum ab aliquo temerentur, auctoritate dei patris omnipotentis et filii et spiritus sancti, potestate apostolorum Petri et Pauli, banno quoque nostro interdicimus omnino et prohibemus. Haec in capitulo Magdeburgensis ecclesiae assidentibus nobis venerabilibus dominis et fratribus nostris coepiscopis ecclesiae nostrae suffraganeis et corampositis multis idoneis testibus acta sunt et confirmata. Testes sunt hi: Johannes Marsburgensis episcopus, Gerungus Misinensis, cujus voluntate et assensu haec acta sunt, Vdo Nuemburgensis, Walo Havelbergensis, Willimarus Brandenburgensis, Arnoldus abbas Dei Monte, Otto maioris ecclesiae praepositus, Balderamus sanctae Mariae praepositus, Henricus sancti Sebastiani praepositus, Sifridus sancti Nicholai praepositus, Witboldus in Hunoldesberg praepositus, C̄nradus Hallensis praepositus, Heggehardus in Sereno Monte praepositus, R̄vcherus Polithensis praepositus, Guntherus in Gratia Dei praepositus, Reinherus in Liezeche praepositus et omnes maioris domus canonici; Adelbertus marchio et filius eius Otto, Badericus et alii quam plures. Actum anno domini M<sup>o</sup>. C<sup>o</sup>. LX<sup>o</sup>. III<sup>o</sup>., indictione VIII<sup>a</sup>., II. Kal. Febr. in capitulo Magdeburgensi, anno archiepiscopatus domini Wichmanni VII<sup>o</sup>.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen mit auf der Rückseite aufgedrücktem wohl erhaltenem Siegel. Schöttgen u. Kreysig Nachl. III. S. 405. — Köhler cod. dipl. Lus. I. S. 38.

a) Löbnitz zwischen Düben und Bitterfeld; 981 u. 1015 Liubanici (vgl. oben S. 15 u. 26) b) Pretin an der Elbe.